

Stephanus Galdeti

*De questione an angelus
possit moveri localiter*

Editor: Alexander Baumgarten

work in progress
06.03.2025

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

Project NOTA-ERC

|| **De questione an angelus possit moveri localiter** ostendebam
 quod non, quia unus altero velocius moveretur, cum velox et tardum
 sint differentie essentiales motus. Sed hoc non, quia potentia unius in
 duplo altero velocior excessus ille potentie maioris facit quod movetur
 5 in duplo minori tempore, et sic aufert unam medietatem et si creetur
 unus angelus fortior secundo auferet medietatem medietatis. Creetur igitur
 Deus pro qualibet parte proportionali unum angelum proportionaliter et
 ad hoc ultra sequitur motum posse fieri in instanti quod in illa potentia
 videtur posse fieri. Item quia si angelus moveatur movebitur velocius
 10 quocumque mobili corporali, et sic infinita velocitate. Patet istud, quia
 in creaturis quacumque velocitate data vel dabili potest dari maior, et
 ideo illa que excedit omnem talem non videtur posse poni infinita et si
 negaretur assumptum, scilicet quod in creaturis quecumque velocitate
 etc., probatur in corpore circulari moto circulariter quod potest sic argui:
 15 angelus movetur velocius aliqua parte circa centrum corporis circularis
 et non excedit in infinitum, et per consequens in aliqua determinata
 proportionem sic decupla certum est quod cum qualibet velocitate data in
 illo circulo sit maior tandem devenietur ad plusquam decuplam. Similiter
 in tali circulo est aliqua velocitas infinita. Patet, quia est ibi aliqua
 20 velocitas excedens infinitas quare quolibet aliquotiens sumpta redderet
 quamlibet finitam, et tamen quamlibet ibi existente excedit angelus, ergo
 movetur infinita ibi plusquam infinita. Tertio, quia dicebat respondens
 ipsum non posse simul transferre de hoc loco ad celum quia esset per
 omnes partes medii, et sic posset cognoscere infinita actu distincta, quia
 25 in illis est quod est conveniens sequebatur immediate contra ipsum, quia
 posuerat eum occupare aliquem locum, quia eo modo in illo parvo loco
 sunt infinita quo in toto celo. Magister VITALIS arguebat suppositive
 quod motus et tempus distinguantur; Deus potest facere motum sine
 tempore, et tunc erit motus dato quod non succesivus, et ideo non
 30 subiectum potest facere translationem subiecto, sed etiam motum. Item
 quia mutatio de contradictorio in contradictorium videtur fieri subito,
 sed per respondentem angelus potest non occupare locum, ergo si prius
 hoc occupet locum hoc fiet subito, igitur eodem modo potest fieri quod
 existens in uno loco subito adquiret alium locum. Magister HENRICUS
 35 arguit indirecte ostendendo continuum non habere partes infinitas, quia
 si due plus faciunt de extenso quam una et tres quam due et sic de aliis,
 ergo infinite faciunt infinitam.